

tractas in frustra diffiliisse, à medio facto initio & versus circumferentiam quasi radiatim sese exporrigente fracturâ, (veluti num. 5. videre est) eo ferè modo, quo malleolo percussa lamina quædam vitrea impetum uno loco receptum ad partes ambientes etiam, quas malleus tamen haut attigerat, *vis suppositi s.* per diversos quasi fissurarum radios transmittit.

CONCLUSIO II. Quemadmodum autem, pro diversitate materiæ (tenacius enim & rigidius est unum vitrum altero) varioque gradu frigoris in aëre, tales orbiculi signati aut alia vitra inter crepandum aliquando frustra quædam ad aliquot passuum intervallum ejaculantur; sic aquæ subito immersa majore cum violentiâ disrumpuntur; quòd ab aquæ majore frigore exterior ambitus citius magisque condensatur & induratur, atque adeò interior illa tensio major, majorem autem tensionem major ac vehementior in diffiliendo impetus consequitur. Et huc revocanda est procul dubio notissima illa calices vitreos ope ardentis funis bombardici ad lubitum secandi ratio, dum calicis margini ad lychni aut lampadis flammam alicubi sensibiliter calefacto & consequenter rarefacto aquæ gutta subito adspargitur aut madefactus digitus impingitur; ut hoc pacto particulâ calentis tractus subito condensatâ, reliquæ mox præter solitum tensæ rupturam aliquam patiantur.

CONCLUSIO III. Sicut autem non omnia vitra ex intensissimo licet primæ fornacis igne in aërem etiam frigidiusculum statim translocata franguntur (experimento enim multiplici nobis constat, fistulas in primis sive canales vitreos ex liquido vitro ductos non disrumpi, tametsi refrigeratorio quem vocant furno indita non fuerint, sive quod æquabilius in hoc casu partes omnes unâ tangi ab aëre & refrigerari queant, sive quod illa tensio inter ducendum manu facta mutationis aliquid inducat &c.) ita si tenax satis materia fuerit, ut aliquantam sustinere distensionem valeat, nihil impedit, quo minus in aqua etiam guttæ quædam integritatem suam servant: